Origenis Adamantij

EPISTOLA Secunda

AD

Doctores WHITBEIUM, WATERLANDIUM, WHISTONIUM, alioſque Literatos hujus Sæculi Diſputatores.

Circa Fidem verè Orthodoxam & Scripturarum Interpletationem.

LONDINI:
Impenſis J. ROBERTS, in vico vulgo vocato, *Warwick-Lane*, 1720.

Origenis Adamantij

Epiſtola Secunda

Ad Doctores *Whitbeium*, *Waterlandium*, *Whiſtonium*, alioſque, &c.

Viri Literati, Graviſſimique.

AUD diu eſt, ex quo amicam & manſuetam Vobis miſi Epiſtolam, quâ rectæ ad Pacem & Veritatem inquirendam & aſſequendam ſemitæ mentionem feci; atque ardentiſſimis precibus Vos obſecravi, prout decet Eccleſiæ Patrem, qui Chriſtiano & paterno Vos amplectitur Amore, ut dignaremini in eandem revertere. Gratam Vobis fuiſſe eam Epiſtolam proillâ Veneratione, quam præfertis, Primitivæ Eccleſiæ lubens cenſerem: Sed vereor, nè ob majorem cu-

juſdam Fæminæ *Pythoniſſæ* dilectionem, quæ necromanteiâ ſuâ magno Vobis inſervit Lucro, minùs accepta prodierit: Veruntamen utcunque ſit, an grata vel ingrata Vobis venerit ea Epiſtola; alteram quam pollicitus fui, nunc mitto eodem fine, ut Vos, ſi fieri poſſit, perſuadeam & inducam Patrias redire in Vias &

Antiquam exquirere Matrem.

Atque, ſi in hâc aliquatenùs minùs leni uſus fuero ſcribendi Calamo, mihi non eſt vitio vertendum, ſed veſtro primitivæ Lucis & Doctrinæ Odio; & Amori veſtræ Eccleſiæ in Arenâ Literæ fundatæ & ædificatæ; unde opus eſt mihi acriore Stylo, *Et Verbis eradicautibus ex Animis Hominum mala Germina Occaſione Commentariorum literati Cleri & ſimilium pullulantia contra Veritatem; opus eſt ſententijs diruentibus omne ſuperſtructum dogmatibus falſis Ædificium, & inſanas ſubſtructiones, quales erant illorum magniloquorum, venite ædificemus nobiſcum Urbem & Turrim cujus Faſtigium uſque Cælos pertingat; opus eſt ſapientia demoliente omnem Altitudinem extollentem ſe contra Cognitionem Dei, & arrogantem*

Contra Celſum. lib. 4.

rogantem vaſtumq; Literatorum Animum inſurgentem contra Nos & veram Chriſti Eccleſiam quæ ſuper Montes Legis & Prophetarum eſt extruenda.

Suſpicamini forſan, *Viri graviſſimi*, quòd non ſim *Origenes Adamantius* verè renatus, qui has ſcribo Epiſtolas, ſed alius quiſpiam Proſopopœiæ peritus, qui Perſonam *Origenis* induit; alias, ſi certi eſſetis me eſſe vere renatum, haſce Epiſtolas & veterem Doctrinam ambabus ulnis gaviſim amplecteremini, atque meum in Vitam Reditum ad congratulandum, & Pedes meos veniretis, ſicubi ſciretis, ad exoſculandos.

Reſpondeo, pro certo ſciatis me veſtrum *Origenem* in Lucem eſſe verè reducem ex eo, quòd in ſpirituali olim degens Ægypto, præfatus fuerim me hoc Die, quo Eccleſia perveniret ad eremitici ſui ſtatûs Finem, a mortuis fore expergendum; cùm Spiritus Chriſti, qui eſt Vita & Reſurrectio noſtra, in Corpora Prophetarum, Apoſtolorum, Patrum, aliorumq; de novo intraret. Fateor me Oculis veſtris corporeis non eſſe viſibilem, (dummodò in humili loco Literæ ſteteritis) nec manibus tractandum; at,

Homill. in Num. cap. 23.

at, ſi Vobis placuerit aſcendere in hôſtrum Olympum, conſpiciatis, ſi quâ Mentis Acie & Oculis Intellectûs imbuti eſtis, Prophetas, Apoſtolos, Patres, & Philoſophos renatos, necnon ipſos Reges Ægyptios ex Pyramidalibus ſuis Sepulchris prodeuntes & ſuſcitatos.

Sed & alia Vobis certior eſt Via cognoſcendi, quòd ſim renatus, nempe per veterem meam Doctrinam, quam de novo evangelizo, Regni Cælorum. Redeunt enim mecum in Vitam omnia mea vetera Dogmata: Et per Viſionem apertam jam contemplor Certitudinem Fidei quam olim amplexus ſum, & latiùs in veſtram Intelligentiam ſum revelaturus. Nullus vel literatiſſimus Cleri, qui Origenis Perſonam in ſe ſuſciperet, tam ſublimia ſapientiæ divinæ Myſteria, qualia Ego, ſoluit docere. Atque ut magis indubii ſitis circa meam Reſurrectionem, in medium producam quoſdam Articulos tam veteris quam novæ meæ Doctrinæ, quibus credatis & intelligatis, donec ſpectatum veneritis, me verè eſſe renatum.

* I. Imprimis Is ſum *Origenes*, qui in eo Libro quem magni facitis, dixi *Prophetas*

phetas arcana & vulgari Captu ſublimiora Figuris obſcurioribus convelaſſe, Ænigmatis, Allegoriis, Paræmiis ac Parabolis, ut non ab ignavis invenirentur & Segnibus; ſed a Virtutis & Veritatis ſtudioſis Perſcrutatoribus, & inventum juxta divinam doctrinam in Uſum proprium verteretur. Atque porrò huic Inſtituto dixi, *verum Chriſtianiſmum conſiſtere in Interpretatione & Enarratione Prophetïcorum Ænigmatum, Parabolarumque evangelicarum aliarumque innumerarum Figurarum quæ vel in geſtis continentur vel Legibus.* Contra Celſum, lib. 8. Idem, lib. 1.

II. Is ſum Origenes qui olim conatus ſum *explanare Legem; non ſecundum Literam ſed ſecundum ſpiritualem ſenſum.* Atque jam renatus *per largiſſima ſpatia Intelligentiæ myſticæ & ſpiritalis equitabo.* In Epiſt. ad Rom. cap. 8. Idem ad Rom. cap. 8.

III. Is ſum *Origenes* qui ſæpius innui Evangelium ſub Lege fuiſſe velatum, & Legem ſub Evangelio revelatam, atque jam *jucundum erit iſtum Conſenſum intelligere circa convenientia duorum Teſtamentorum.* In Matthæum, Tract. 7.

IV. Is

Ad Rom. cap. 12. IV. Is ſum *Origenes* qui *Legem ſacrificiorum, quæ in Levitico eſt lata, ſecundum ſpiritualem Intelligentiam dixi eſſe implendam; Arietes enim & Hircos & Vitulos immortali & incorporeo Deo offerri nulla recta Ratio & honeſta ſuſcipiet.* Nunc Digito Vobis demonſtrabo Tauros, Boves, Arietes & Hircos Evangelicos pro ſacrificijs offerendos; habemuſq; Altaria (quæ Vos occidentes Prophetas deperdidiſtis) ſuper quibus viventes Hoſtiæ & Deo acceptiſſimæ ſunt faciendæ; nam *annunciare Evangelium eſt ſacrificale Opus* & Miniſtri Novi Teſtamenti dicuntur ἱερουργοῦντες τὸ εὐαγγέλιον.

Ad Rom. cap. 5.

Ad Rom. cap. 2. V. Is ſum *Origenes* qui dixi *Legis & Prophetarum Gloriam tunc apparere, cum Chriſtus transformatus ſit in Gloriâ, ut Illius Gloriâ Prophetia & Lex illuminata, amoto Literæ Velamine, intelligatur in Spiritu. In eo enim quod Moſes & Elias apparuerunt in Gloriâ cum Jeſu colloquentes in Monte, oſtenditur Legem & Prophetas conſonare cum Evangelio, & in eâdem Gloriâ ſpiritualis Aſpectûs & Intelligentiæ refulgere. Atque ſi quis intelligit ſpiritualem Legem convenientem*

Ad Rom. cap. 1.

In Matthæum, Tract. 8.

Ser-

Sermonibus Jesu, & in Prophetis abscondítam in Mysterio sapientiam, ille videt Mosen & Eliam in Gloriâ cum Jesu.

VI. Is sum *Origenes* qui dixi *non contemnendam esse accuratam circa Nomina diligentiam ei qui voluerit probe intelligere sacras Literas. Nec parvipendenda sunt Nomina cum Res utiles ex eis significentur Locorum Interpretatione. Scimus enim Locorum Nomina ejusdem Nominis esse cum Rebus per Jesum factis.* Jnde est, *quòd Babylonem interpreter Confusionem, & Hierosolymus, ad quas Ecclesia est festinatura, Civitatem Pacis & Visionis.* In Johan. Tom. 8. In Johan. Tom. 10. In Hieriamian Homel. 1.

VII. Is sum *Origenes*, qui dixi *illum profundiùs esse eruditum, qui a Litera Scripturarum adeptus Institutionem ascendit ad spiritualia, quæ vocantur Regnum Cælorum*, atque jam renatus contemplor *Regnum Cælorum appropinquare, ut Scribæ qui in simplici Litera acquiescunt, resipiscentes ab ejusmodi Intellectu eruditantur spirituali Doctrinâ quæ per Jesum Christum est Regnum Cælorum, & solus eruditus scriba qui nova cum veteribus, & vetera* In Matthæum, cap. 13.

cum novis componens Divitias reconditas habet utriusque Testament suo Thesauro.

VIII. Is sum *Origenes* qui, sicut Christus dixit Discipulis, quòd *iis daretur nosse Mysteria Regni Cælorum*, aliis verò in Parabolis nudis quas non intelligunt; ita tenui & teneo renatus, *ut ille qui non habet Spiritum Christi pro spirituali Regno Cælorum prædicando, pro Literâ Legis abjiciendâ, & spirituali ejus sensu amplectendo, non est Christi Discipulus.*

Ad Rom. cap. 8.

IX. Is sum *Origenes* qui, sicut dixi sæpiùs Legem quoad Literam, omni sensû vacuam; ita assero *eos, qui Legem Mosis exponunt secundum Literam esse vaniloquos*, atque jam renatus conspicio tam Doctores quam Libros fere omnes hujus Sæculi Vanitatis & Erroris plenos.

In Matt. Tract. 24.

X. Is sum *Origenes* qui tenui *maximè competere in Idiotas, qui nescunt Tropologias & Anagogas Scripturarum, sed simplici credunt Litera, eamque defendunt.* Atque jam invenio me renatum esse in sæculo obtusissimo & Idiotarum reverendi Tituli longè repletissimo. Nam *soli sapientes*

In Matt. cap. 13.

ſapientes qui Allegorias intelligunt, & veri Eccleſiæ Filij appellantur Ænigmatiſtæ, qui Figuras Legis & Ænigmata ſpiritaliter intelligunt. In Numer. cap. 23.

En, Viri Graviſſimi, decem Articulos primitivæ noſtræ Doctrinæ, quibus diſcernatis *Origenem* veſtrum eſſe vere renatum & in Vitam Reducem! Alias Decades Articulorum ſuper Decades hiſce conſentaneas, ut probè noſtis qui in meis Scriptis parum eſtis verſati, poſſum proferre. Neque hoſce Articulos exiſtimetis eſſe ſolas *Origenianas* Nænias; alij enim omnes Eccleſiæ Antenicenæ Patres in iiſdem conſentiunt & conſpirant. Idcirco velim ut elcquamini, an Doctrina in hiſce Articulis contenta Guſtui veſtro & Intellectui placeat, necne? Soletis in veſtris Controverſiis, quæ ſummâ Animi Contentione & Verborum Acrimoniâ geruntur, ad Patres provocare, quos ſæpius coegiſtis Ineptiis veſtris falſum ferre Teſtimonium. Jam Vos Appello hujus ſeculi Literatos in Judicium hujus Doctrinæ noſtræ, quos, invitos licet, in ejuſdem Approbationem tandem aliquando ducam.

Appello Te imprimis, Graviſſime *Whebeie*, circa Orthodoxiam horum Articulorum. Tu non tantum mea, ſed & aliorum Antenicenorum Patrum videris, quâ Curâ vel Incuriâ non dicam, Scripta evolviſſe. Feras ergo Sententiam tuam de hâc Doctrinâ, quam nequeas non meminiſſe Catholicam fuiſſe, quam Patres unanimo Conſenſu amplectebantur. Dixiſti, *nihil decretorium de Controverſiis hujus Dici ex Patrum primæverum Scriptis deprome poſſe*; atque contendis alio in Loco *Controverſias de ſacroſanctâ Trinitate motas ex Patrum Scriptis certò definiri non poſſe*. Nè diſcrueiarls amplius circa has Controverſias finiendas; Nos Patres Eccleſiæ renati, non obſtante tuâ ſententiâ, cunctis de Religione diſſidiis Finem brevi imponamus. Fateor, quòd Faſciculum Teſtimoniorum de Trinitate ex Patribus ſumptorum, quæ videntur inter ſe pugnantia, congeſſeris; undè compertum duxiſti ex noſtris Scriptis nihil de Myſterio Patris, Filii & Spiritûs Sancti poſſe pro certo definiri: Sed illa Patrum Diſcrepantia, quam cenſes, non eſt in noſtro Intellectu, ſed in Confuſione tui ipſius Cerebri, qui minùs quam oporteat, es aſſuetus noſtris loquendi

Diſvuiſ. modeſt. Præfat. p. 27, Idem, p. 3.

quendi Formulis. Mirandam inter nos Harmoniam contemplaberis, si placuerit Tibi Veniam nobis concedere nostrum ipsorum exprimere & exprimere sensum, atque eâ, quam judicamus idoneam, incedere nostras pandendi Opiniones Viâ, quâ & Vos a Scopo Veritatis defecisse & de Umbrâ Asini huc usque disputasse manifestum erit. Eo Consilio hosce supradictos Articulos imprimis duxi in medium sistendos; Quorum Veritatem si Ratione, Historia, & Testimoniis probaverimus; ad Mysterium, de quo incassum certatis, & Patrum Consensum in eo contemplandum facilè perveniemus.

Tu, in eâ ad Doctorem *Waterlandium* Responsione, agnovisti me fuisse celeberrimum Ecclesiæ primævæ Patrem. Nescio quâ de Causâ censeas me id Honoris Tituli meruisse: Sed, crede mihi, non eliam ob Causam extiti celeber in nostrâ Antenicenâ Ecclesiâ, quàm ob Doctrinam in iisdem Articulis comprehensam, & allegoricam Scripturarum Interpretationem, quam ab ipsis Apostolis, ut ex eorum Epistolis constat, & Apostolicis Viris, quorum Opera id testantur, didici: Nosque omnes primi, secundi, & tertij

ſæculi Patres ſimilem navavimus Operam ſpirituali Scripturarum ſenſui eruendo.

Tu, Vir verè Graviſſime, ac ipſe Ego, es ſcripturarum Interpres, & in Novum Teſtamentum tuam exercuiſti interpretandi Facultatem. Non mirum eſt, ut ab Apoſtolicâ & primitivâ exponendi Viâ recederes; cùm Patres *pro tutiſſimis ſacrarum Scripturarum Interpretibus non ducas ut qui traditionibus plerumque dubiis, interdum ementitis plus æquo indulgent.* Neſcio, quid vis *per Traditiones noſtras dubias, & ementitas*; ſed veſtra vana, falſa, & ementita in propatulo ſiſterem Interpretamenta, ad quæ Nos Patres ſolius Veritatis ſtudioſi obſtupeſcimus. Liceat vero mihi paucis tecum ſuper hâc Re expoſtulare. Nonnè æquum ſit credere nos, qui propiùs ad Chriſti & Apoſtolorum Tempora viximus, eorum Mentem circa ſcripturas interpretandas rectiùs calluiſſe, quam Vos octodecimi Sæculi literatos? Annè Rationi ſit conſentaneum, ut Chriſtus & Apoſtoli N. Teſtamentum darent Uſui Eccleſiæ Divinitùs inſpiratum, & Eorum Aſſeclas ad hujus ſæculi Profeſſores pro vero iſtius ſenſu adipiſcendo mitterent? Hoc perinde eſt, acſi Pedes Caput inſtruerent, pri-

Diſquiſ. Mod. p. 1.

primævaque Eccleſia, pro Fide Chriſti ſtrenuè certans, in Errore eſſet verſata, donec *Whitbeius*, aliique id genus Homunciones ſurgerent, qui Veritatem enuclearent: quo nihil abſurdius poſſit concipi.

Tuos Commentarios in N. T. non cenſui Lectione dignos, ut qui Manus meas inquinarent, Oculiſque offenderent. Talia, quæ tu produxiſti Interpretamina diximus olim Stercora Olfactui & Guſtui ſpirituali Animæ ingratiſſima. Noſtra vero, qualia primævi Chriſtiani ſapuerunt, Animam erigunt ad altiora & dulciora veræ ſapientiæ Myſteria guſtandum. Reſipiſcas igitùr, & de novo diſcas veteres a Nobis interpretandi Vias, quæ ſpirituali ſcripturarum Cibo Animam & Intellectum implebunt & locupletabunt. Tu, perperam intelligens mea dicta circa Chriſti Divinitatem, me dixiſti *delirare*; at Ego, ſi Operæ eſſet pretium, oſtenderem Te in ſingulis Paginis gravitèr *ineptire*; *Riſumque noſtrum potiùs quam Refutationem merentur* tuæ, tuiſque ſimiles Expoſitiones Ratione, ſenſu & Veritate alienæ, atque a noſtris, ut videas ſi placuerit unà conferre, toto Cælo diſcrepantes. Tu *ſerpente Epidaurio* oculatior

latior Cl. *Bulli* diſpicis Nævos & *Vitulos*, quibus & ipſe eum haud vacuum cenſeo; ſed *Tauros* tuos longe graviores nullus noſtrûm non diſcernit. Reſipiſcas dein, atque ad me alioſque Patres denuo venias in verâ & evangelicâ Doctrinâ inſtituendus, antequam ex hâc Vitâ exceſſeris. Ais, in Reſponſione tuâ ad *Waterlandium*, Te gravatum eſſe Annis; quot numeres, neſcio; ſed certus ſis, quòd huc uſque incaſſum Libris evolvendis impenderis Laborem; atque, ni ſupradictos Primitivæ Doctrinæ Articulos verâ fide & Intelligentiâ receperis & amplexus fueris, nihilo Doctior & ſapientior Vitâ emigrabis, quam pauperculus tuæ Parochiæ *Sutor*, quem in evangelicâ inſtruere Veritate ſuſcepiſti.

Atque, factâ jam *Sutoris* mentione, nequeam non tales Theologiæ Doctores, qualis tu ſis, ſpiritualis Scripturarum ſenſûs ignaros imperitis *Sutoribus* comparare ob ſimilitudinem veſtri Operis. Vos enim, haud ſecùs ac illi, fruſtula & fragmenta Literæ, quam dixi Corium Vituli, unà conſuitis in uſum Pedum Eccleſiæ, atque ex eo, quòd imperitè hoc facitis, *Cobleatores* meritò vocemini. Tu & *Waterlandius*, alique veſtræ *Aſtutiæ* invicem

vicem conquerimini de male versis & perperam constructis tàm Patrum quàm Scripturarum excerptis; Vobis igitur propriè competit Nomen ineptorum *Translatorum* quos Vulgus vocat imperitos *Sutores*; atque eâ de Causâ, quòd Litera solâ, i. e. Corio Scripturarum operari diligatis, in Ecclesiæ Pacem & Utilitatem multum cederet, si literali sensu in *Sutores* alioſque Operarios essetis transformati ad Victum honesto Labore quæritandum. Nec dubitetis, quin Deus alios in Vineam suam Ecclesiæ ad Evangelizandum magis idoneos adsciverit Operarios. Probè nostis, ut Deus in Initio Ecclesiæ Piscatores & Pellium Sutores, alioſque pauperes Artifices in Opprobrium Philosophorum & sapientum Mundi ad Ministerium Evangelii advocasse; atque eo quo vixi Tempore, memini quorundam iis similium, qui itinerantes Evangelium prædicarunt in Conversionem Gentium, Populique Christiani instructionem; neque dubius sum, quin hoc seculo spirituali Christi Adventûs, quo effusurus est *de spiritu suo in omnem Carnem*, ex Plebe minùs eruditâ ministros multos adsciverit in Dedecus & Ludibrium literatorum *Doctorum* an Indoctorum dicam? Ecclesiæ. Hoc Opus jam

dudum incæpit in *Sutore*; quo, ut fertur, nuſquam fere ad Calceamenta facienda extitit imperitior; in Miniſterio verò Verbi & Veritatis concionandi eximius per Afflatum divini Spiritûs evaſit Operarius. Quam felices ejus Miniſterii Fructus in *Tremulis* quos dicitis, conſpiciamus; qui tam Pietate quam Doctrinâ, ut ex Collatione factâ conſtat, ad primitivos Chriſtianos propiùs accedunt quam ulla alia cujuſcunque hominis Secta. Et nihil credibilius eſt, quam quòd Deus ampliore ſui Spiritus Dono alios Allegoriſtas & Ænigmatiſtas ad Urbem Viſionis & Pacis ædificandum, haud abſimiles in Contemptum literati *Cleri* locupletaverit.

Atque hanc Occaſionem nactus, *Vir Graviſſime*, nequeam intactum præterire tuum *Barnabæ* & *Hermæ* ſanctorum Patrum & Virûm Apoſtolicorum Abuſum; de quibus ſic loqueris, *Barnabas & Hermas non tantum ab antiquis pro ſpuriis habiti, ſed adeo Fabularum Involucris, & Viſionum ſive ſomniorum Caligine ſunt obducti, ut Chriſtianæ Fidei Documenta ex iis fruſtrà quæſiveris. Unum Eorum, Hermam videlicèt, Literas ſacras primis vix Labris attigiſſe,* aut

Diſquis Mod. p. 19.

aut eaſdem inſuper habuiſſe merito ſuſpiceris; alter vero vix eas unquam, prout in Fonte ſe habent, exhibet; & Interpretamentis contortis & ſupra modum ineptis non tam explicat quam corrumpit, adeo ut eos pro ſacræ Scripturæ Interpretibus idoneis proponere, Riſum potius quam Refutationem mereatur. Si nunc mihi Catechiſtæ Alexandrino propè aſſiſtiſſes, Periculum ſubires Caſtigationis, quam meruiſti, pro hoc inepto, impio, & pæne dixeram, blaſphemo tuo Dicto. In nihilo tuam Patrum Ignorantiam, & primævæ Doctrinæ Imperitiam potes magis prodere, quàm in hâc incautâ & præcipitèr latâ de hiſce Patribus Apoſtolicis ſententiâ. Irâ aliquantulâ contra te jam commoveor. Ex Ore infideli quid hoſtilius & iniquius nunquam provenit; *Celſuſque* ipſe deteriore Convitio Chriſtianos, Chriſtique Religionem vix unquam impetiit. Si in Patribus eſſes ità verſatus, ut videris, probè ſcires Scripturas, quæ ex Ænigmatis, Paræmiis, & Parabolis conſtant, per Viſiones & Similitudines, quibus ij Patres ſtuduerunt, eſſe interpretandas. Nonne ipſe Apoſtolus *Paulus* meminerit Viſionum, Somniorum, Ænigmatum, Typorum, Allegoriarum & Revelationum; ſed cui fini,

niſi quod Scriptura per eas apertas & aperiendas eſſet exponenda? Æquè igitur Riſui habeas *Paulum* (cujus Epiſtolas obiter perperam intelligis) ac *Barnabam* & *Hermam*. Quantam protuliſti tuæ Inſciæ Probationem, cui ignotum eſt Patres maximè primævos per Viſiones, Myſticas Fabulas, & fictas Perigrinationes divina expoſuiſſe Oracula? *Barnabas* & *Hermas* jam renati ſunt, *Hermaſque* in clariore Luce ſiſtet non tantum ſuas vetuſtas Viſiones & Similitudines, ſed & per alteras miro in modo, in Opprobrium literati Cleri, explanabit Prophetas. Expectetque, cùm ille ſcripſerit Epiſtolam Viſionibus & Similitudinibus repletam, acriùs caſtigari. *Caligo Viſionum & ſomniorum*, de quo loqueris, non eſt in *Herma* & *Barnaba*, ſed in tuo ipſius Intellectu; atque valdè inſcius es Prophetarum ac Patrum, alias noviſſes per Viſiones & Somnia, Myſteria Evangelii a ſeculis abſcondita eſſe demùm Sanctis revelanda. *Hermam* dicis *Sacras Literas primis vix labris attigiſſe, aut eaſdem inſuper habuiſſe*; quod Riſum ac Indignationem noſtram movet; Ex Viſionibus enim ipſis *Herma* conſtat, eum profundiùs potaſſe, & largos Hauſtûs ſumpſiſſe *ex Calice Novi Teſtamenti*, quem

tu neſcis, (multa licèt blateras de ſcripturis) & *Labiis tuis primis* nunquam tetigiſti.

Si Tibi contigerit, Vir Literate, cum Patribus, ex quibus multa Fruſtula in tuis *Diſquiſitionibus modeſtis* unà conſuiſti, amplius converſari; velim te meminiſſe Diverbii, *nè Sutor ultra Crepidam*; caveaſque nè More imperiti Sutoris quidquam ex iis male vertas, transferas, & conſuas, præſertim nè puerile & anile de Sanctiſſimis, præſtantiſſimis & Apoſtolicis Viris feras Judicium: Vertetque ſe hæc Epiſtola ad Doctorem *Waterlandium*.

Appello Te jam, *Waterlandie*, circa Orthodoxiam prædictorum Articulorum vetuſtæ noſtræ Fidei. Eloquere tuam Sententiam, annon veram Primitivæ Eccleſiæ Antiquitatem ſapiant? Tu Querelam contra *Whitbeium*, qualem ille contra teipſum, pro male conſtructis, perperam intellectis, & pejus citatis Patrum Scriptis inſtituiſti: Neutri Veſtrum quoad Æquitatem hujus Querelæ diſſentio. Ad Examen igitur & Trutinam Judicij mi vocentur hi Articuli. Perpendeas, an fidelitèr in medium ſiſtantur; Conſulas

Loca

Loca ex quibus depromuntur; & dic Mihi, an ullus ſit dubitandi Locus circa verum *Origenis* veſtri Patris ſenſum. In hiſce Articulis habes Guſtatiunculam Doctrinæ vere Antenicenæ; an grata fuerit vel ingrata tuæ Animæ Guſtui & Intellectui tuum eſt dicere; at, ſi Illius Veritatem & Sapientiam probavero & illuſtravero, Portam veſtris Controverſiis finiendis rectam habebitis reſeratam.

Neſcio, Laude an Vituperio me in tuis Operibus, quæ publici Juris feciſti, tractaveris: valde paululum enim eorum evolvi. Ex unicâ Concione, quam in *Ædibus Paulinis* habuiſti, ſatis didici quam Peritus an imperitus dicam, ſis in veterum Patrum Scriptis; atque bene erit, ſi *Euſebius* te pro eâdem tandem aliquando ſeveriùs non reprehenderit. Sed mihi ineſt ſuſpicio, quòd meo Nomine vel ſcriptis aliquatenùs fueris abuſus; aliàs *Whitbeius* in ſuâ Reſponſione, Celebritatem mei Nominis in primitivâ Eccleſiâ contra te haud ita urſiſſet. Si ita ſit, & Caſu aliquo in tua Scripta quæ ſuo Pretio indigna cenſeo, incidiſſem; expectes, me acriore calamo in te animadverſurum.

Tu

Tu ſuſcepiſti Defenſionem *Catholicæ* Cauſæ, ut amas loqui, quod, Tibi in Honorem ceſſurum cenſes. Scirem, quid vis per verbum *Catholicæ*, quod, ut mihi videtur, eſt æquè *ambiguum*, ac Animalcalum *aquaterreſtre* eſt *amphibium*. Viſne Cauſam Romanæ *Catholicæ* Eccleſiæ an Reformatæ; Antenicenæ *Catholicæ* Eccleſiæ an Poſtnicenæ; Arianæ *Catholicæ* Eccleſiæ an Athanaſianæ? Magna enim eſt Differentia inter has Eccleſias *Catholicas*; & longè aliter Anteniceni Patres de Myſterio Patris, Filij, & Spiritûs Sancti tractarunt, quam Poſtniceni; & nihilo minùs diſcrepantes, quam Concilium Nicenum & Ariminenſe a ſe invicem decreverunt, ut tandem apparebit. Idcirco ſi per *Catholicam* intendas Doctrinam univerſæ Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis ad hunc Diem, nihil ineptius dici poteſt, Si per *Catholicam* intelligas primitivæ Eccleſiæ Doctrinam; Nos Patres, Patientiâ tuâ & Pace impetratâ, noſtrum Senſum circa hoc maximum Myſterium ipſi producemus. Si per *Catholicam* verò velis hodiernæ Eccleſiæ Doctrinam; tum Uſus hujus Vocabuli *Catholicæ*, cùm Doctores veſtri inter ſe conveniant, proprius & legitimus comparebit. Interim certus

certus ſis, quòd tuo Inſtituto Vocabulum *Catholicæ* ineptè appoſuiſti. Sed percontarer, unde ſit, quòd Uſum lepidi Vocabuli *Orthodoxæ* poſthabueris, quod tuo Negotio æquè inſerviret ac *Catholicæ*; nec minoris eſt Celebritatis & Famæ, ut quod unuſquiſque & nullus probè intelligit.

Veruntamen te laudo, *mi Fili*, quòd Patrocinium Divinitatis Chriſti contra *Arianos* & *Whiſtonianos* ſuſceperis. Quibus Argumentis & Teſtimoniis huic Fini uſus es, mihi parum refert cognoſcere; valde dubiis & incertis vereor. Si verò Tibi placuerit mihi accedere, & aſcendere Montem Spiritualis Intelligentiæ Legis, quem in Deliciis olim habui, & ſuper quem nunc habito, oſtendam Tibi Gloriam hujus Dei noſtri, Sole ipſo fulgentiorem.

Templum Dei jam quadruplici ſenſu eſt accipiendum, ut olim diſſerui. 1°, Humanum iſtud Chriſti Corpus, quo paſſus eſt ſub *Pontio Pilato* dicitur Illius Templum. 2°, Eccleſia dicitur myſticum Chriſti Corpus & Templum. 3°, Sacras Scripturas dixi Templum Dei. 4°, Univerſus Mundus eſt Templum

In Johan. Tom. 12.

In Matth. cap. 14.

Contra Celſ. lib. 7.

plum ejus. In hiſce Templis aſſero Deum ejuſque Gloriam Oculis Intellectûs eſſe conſpiciendum. Apoſtolus *Paulus* inquit, ut *Plenitudo Deitatis inhabitavit in Chriſto crucifixo corporaliter*. Si Tu intellectualiter conſpiceres in Chriſto crucifixo Plenitudinem Deitatis, neceſſe eſt ut meminiſſes Argumenti a miraculis Chriſti & Prodigiis ducti, quo uſus ſum contra *Celſum*, ac alii Patres contra Gentes; unde videas Chriſtum Magnitudinem Divinitatis ejus revelaſſe Senſui Romano, & Probationem Illius vulgari Intellectui accomodaſſe; quod Argumentum jam non vacat proſequi. Si in Templo ſuo Scripturarum, Eccleſiæ, & univerſi Mundi conſpiceres Deum; ſcito, quòd *ſublato Legis & Prophetarum Velamine; in occultis Literarum Senſibus, contempleris tanquam in Speculo Gloriam Domini*. Per Viſiones apertas poſſum tibi oſtendere Chriſtum non tantum inter Doctores Templi ſui Eccleſiæ, ſed & inter Philoſophos cujuſque Mundi ſæculi ſedentem & Quæſtiones Interrogantem. Poſſum Fibi oſtendere Chriſtum in ſolium ſuum Crucis locatum, tanquam alterum *Janum* in Templo ſuo totius Mundi, cum duplici ſuâ Providentiæ Facie tam retroſpiciente in præteri-

In Luc. cap. 2. Hom. 18.

ta, quam proſpiciente in futura ſæcula. Poſſum tibi oſtendere Thronum Divinæ Majeſtatis cum *vitreo Mari ſive aureo pellucido*, (de quo Loquitur *Johannes* in Apocalypſi,) Ænigmatum coram eo diffuſo; nocnon uno eodemque Intuitu contemplaberis Myſterium *Patris*, *Filii* & *Spiritus Sancti*. Memento *Chriſti* Dictionis ad *Philippum*, *qui vidit* (intellectualiter) *& cognovit* me, *vidit & cognovit Patrem*; nam Ego ſum in Patre, & Pater in me, nam *unum* ſumus; necnon Reſponſionis Philippi ad Chriſtum, *oſtende Nobis Patrem & ſufficiet*. Si tu igitur videres ſpiritualitèr & cognoſceres *Filium in Patre*, Patremque in Filio, debes eſſe alter *Philippus*, i. e. amares (pro Ratione Nominis *Philippi*, nam Uſus Interpretationis Nominum non eſt contemnendus ſecundum Articulum 6) *equitare* (ſecundum Articulum 3) *per largiſſima ſpatia ſpiritualis Intelligentiæ Scripturarum*, & dein conſpicies Patrem in Filio, Filiumque in Patre, nempe unum, eundemque Deum Conditorem, Opificem, Logon, & Solem Mundi ſpiritualem, quem nequeas contemplari, quin uno eodumque Viſu conſpexeris *ſpiritum ſanctum* omnia Mundi Sæcula & Loca implentem & permeantem; nam

nihil

nihil diverſitatis eſt in Naturâ vel Subſtantiæ Patris, Filij & ſpiritûs ſancti; ſed *cùm confitearis unum Deum, eâdem Confeſſione Patrem & Filium & Spiritum ſanctum aſſeris unum Deum.* In Epiſt. ad Rom. cap. 10. In Exod. Hom. 5.

Sed me reprimo neſciens, an Captui tuo impræſentiarum ſit accomodata hæc Locutio necne? Hoc magnum Myſterium eſt paulatim aperiendum; atque glorioſus ejus Conſpectus eſt gradatim adipiſcendus. Verùm antequàm Gloriam Domini contempleris in *ſuo Templo Eccleſiæ vel totius Mundi, quæ per ſpeculum in Ænigmate Scripturarum eſt videnda*, neceſſe eſt, ut imprimis videas & intelligas, quomodo Plenitudo Deitatis inhabitabat in Templo humani Corporis Chriſti crucifixi ſecundum Sapientiam Gentium & vulgarem Romanorum Intellectum. In Matth. Tract. 25.

Utcunque vero ſit, an in præſenti me capias necne? tamen ſpero quod ipſe vel alius quiſpiam Ænigmatum Scripturarum & Viſorum aperiendarum peritus ita te alliciat & inſtruat ad Aſcenſum faciendum ſuper Montem ſpiritualis Intelligentiæ Legis, ut tandem Gloriam Domini in ſuo Templo, ejuſque Providentiam per omnia Mundi ſecula contempleris.

Abſit, mi *Fili*, ut nil, niſi quod humile ſit, ſemper ſaperes. Abſit, ut in humum Literæ Scripturarum continuò reperes. Abſit, ut inter Animalia reptilia Te recenſerem. Quamvis nomen tuum ſonet *paludoſum*; tamen Animam cæleſtium & ſublimioris ſcientiæ avidam procul dubio geris, atque pro Ratione Ætatis, Indolis & Eruditionis ſperem te poſſe ab Humo & Inſipientiâ Literæ avocari, atque ad celſiora Evangelii Myſteria aſſequenda erigi.

Appello Te demum, *Whiſtonie*, circa Veritatem & Orthodoxiam prædictorum Articulorum Doctrinæ noſtræ primitivæ. Te acutiſſimum Antiquitatis κριτην cenſent Aſſeclæ tui numeroſi. Atque Ipſe habereris naſutiſſimus ad Interpolationes olendas, & genuina Veterum a Spuriis Scripta ad dignoſcendum. Tu altum ſuſtuliſti Clamorem contra Fraudem & Incuriam Librariorum. Emungas igitur Nares tuos, Oculoſque clareſcas, & dic mihi, an aliquam Fraudem & Interpolationem ſubodoreas & diſcernas in hiſce Articulis, qui ſub accurato tuo, ut habetur, Cenſu ſiſtuntur judicandi. Si ullâ Animi Integritate & Candore ſis imbutus,

quod

quod Res eſt, eloqueris, & confiteberis in hiſce Articulis contineri veram antiquiſſimæ Eccleſiæ Doctrinam, quam ſinguli Patres *Antenicæni* comprobabant, & amplis Teſtimoniis confirmabant; Sed eo, quòd Guſtui tuo diſpliceant, & præconceptis tuis Opinionibus contradicant, illos, atcunque Ratione, Argumentis, & Authoritate Veterum condantur, reſpues & rejicies. Talis Confeſſio verum tuæ mentis Candorem dicam? an Præjudicium enarraret. Nullus enim non videat, qui in tuis & priſcorum Patrum Operibus eſt parum verſatus, te veteres inſcrutari & conſulere non tam ad primævam Doctrinam inquirendam, quam præjudicatos tuos conceptus ad confirmandum; aliàs ità Vi coactos in Teſtimonium tuæ Hæreſis Patres non traxeras, & eorum Scripta contorſeras, inſuper habens ea Teſtimonia inumera, Luce ipsâ fulgentiora; & convitiis Impuritatis & Interpolationis lacoſſens, quæ Tibi adverſantur. Nequeam non cenſere Te Homunculo, de quo Fabula narratur, eſſe valdè ſimilem; qui ex profeſſo Rationi aſſentiret, & diſſentiret, ut Ratio Illi faveret & contradiceret; Ità Tu Patres propugnas & impugnas ut videntur Tibi placere & diſplicere; obſtinatè iis reſiſtis,

ut

ut Tibi contradicunt, nec laudas eos, vel Teſtimonia ex iis adhibes, niſi diſtor queas. Atteſtor teipſum in hujus Rei Veritatem; Integritaſque tua dicam? an Præjudicium in legendis citandiſque Patribus probetur per hoſce Articulos; Dic ergo, annon magni haberentur, ſi pro te facerent; nec aliam ob Cauſam e contrario eos neglectui habebis, quàm quòd Tuis Conceptibus adverſantur. Laudas me pro Hæreſi tuâ tuendâ, quod indigne fero, qui millies ſaltem expreſſis vel implicitis verbis celebravi ſublimitatem Divinitatis Chriſti ſub Titulo veri Dei, Spiritûs Legis, Dominique Hoſtiarum, Virtutum & Exercituum; eaque Teſtimonia quæ ex Operibus meis e contra attuliſti, ſunt perperam intellecta & male conſtructa.

Quantum Contentionis Pulverem in hâc Eccleſiâ per nuperos Annos concitaſti! Fert Populus te eſſe Conjuratorem, cui non diſſentio; niſi enim *Necromanta* fuiſſes & *Magnus Babylonicus* Præſtigiis & Aſtutiâ, de quâ loquitur Apoſtolus, pollens, nequires tam peſtiferum Doctrinæ Ventum excitaſſe, quo Populus ſimplicior in Aere vanæ Admirationis tuæ Eruditionis circumfertur deceptus. Nuſ-

quam

quam deterior Hæresis quam tua distraxit & divexavit Populum Christianum; neque de minutioribus Nugis & Ineptiis unquam erat disceptatum, quam *de tuis Doxologiarum Formulis*. Si vel parum assuetus fuisses vetustis nostris loquendi formulis, citò discerneres nullum inesse sensûs Discrimen huic vel illi *Doxologiæ*. Parum refert, qualem Præpositionem [an in, ad, per, ob vel cum] Nomini Christi & Spiritûs Sancti in *Doxologiis* præponas. Usus hujus vel illius Præpositionis nec minuit nec auget Divinitatem Filii & Spiritus Sancti; neque tu aliter sentires, nisi vanâ tui Conceptûs Opinatione esses captus.

Diu, multùmque antea Ecclesia Christi *Logomachiis* fuit exercitata, cùm altercantes Nebulis Verborum ἀλογῶν & inutilium ita fuerint obvoluti, ut neque se invicem nec seipsos intellexerunt; sed tu primus es qui Bellum in Ecclesiæ monosyllabicum movisti. Post hanc tuam ineptissimam de *Doxologiarum* Formulis & *Monosyllabis*, ut ita dicam, Controversiam, unica altera supersesse videtur, nempe literalis, i. e. *Literæ* contra *Spiritum*, Spiritûsve Legis contra Literam, quæ tandem ad *Finem Legis* & Contro-

ver-

verſiarum omnium ducet Eccleſiam, ad Pacem videlicèt & Charitatem. Quidni ipſe *Origenes Adamantius* hoc ſpirituale Bellum contra *Literam* ordiar? In quo ſi audeas teipſum ingerere, in emathios Campos prodeas. Ego tecum congredi hand recuſo; immo ad Certamen te provoco. Ego Gladio Spiritus Legis vivificantis utar, tu pugnes cum Mucrone *Literæ* qui per multa Eccleſiæ ſæcula Legem & Prophetas occidit. Nec deſperem magnum *Arianorum* Athletam vincere & ſubigere, quem ſimùlac ſuum Ducem proſtratum viderint Cohortes tui numeroſi, in Fugam vertentur. Nos Patres Eccleſiæ pro hoc ſpirituali Bello gerendo a mortuis ſumus ſuſcitati, qui omnes pro ſpiritu Legis certabimus contra veſtra longe majora *Literæ* & Literatorum Agmina. Neque mirum erit, ſub Duce noſtro & Auſpice Jeſu, ſi Nos decem circiter Patres Primitivæ Eccleſiæ renati, *ſpiritualibus noſtræ Militiæ Armis* utenter, decem Millia Literatorum profligaremus. Audii te hanc Interpretandi Scripturas Regulam tenere, nempe *nunquam recedendum eſſe a Literâ, niſi neceſſitas, Senſûs causâ, exigat*: Ego longè aliam foveo Regulam, nempe quo remotiùs plerumque recedas a Literâ, ſive

quo

quo altiùs Spiritualis Intelligentiæ Montem ascendas, eo divina Veritas & evangelica erit magis conspicua; Nam *sicut non aquilitèr Oculi Corporis nostri illuminantur a Sole, sed quanto quis in Loca altiora conscenderit, & Ortus Ejus editioris speculæ Intuitione fuerit contemplatus, tanto amplius & splendoris ejus Vim percipiet & Caloris: ita etiam Mens nostra quanto altiùs & excelsiùs appropinquaverit Christo, ac se viciniorem splendori Lucis ejus objecerit, tanta magnificentiùs & clariùs ejus Lumine radiabitur.* Si tu, sive alius quispiam *Agagi* Filius qui Literam lambis, audeas hanc meam Interpretandi Regulam impugnare; descendas in Arenam Literæ, & Fortitudinem & Militiæ Peritiam tuam experiaris. Sciasque, quòd sub Eventu hujus Belli Spiritûs contra Literam, vestra Controversia circa Deitatem Christi & Mysterium Patris, Filii & Spiritûs Sancti definietur, & Gloria Domini universæ Orbis in Finem Contentionum vestrarum & Jurgiorum conspicietur. In Genesin, cap. 1.

Tu valde anxius & sollicitus videris circa Patrum Opinionem pro Hæresi tuâ forendâ, ut ex Epistolâ tuâ ad Nobilissimum *Nottinghamiæ Comitem* constat, in

quâ honoratum *primarium Commun: Placit: Juſticiarium*, Doctores *Waterlandium*, *Revium*, *Clarkium*, alioſque Clericos nihilo peritiores Patrum quam teipſum advocaſti in teterrimæ tuæ Hæreſis Examen & Approbationem. Nè ſupra modum gravaris circa noſtras Sententias; Nos Patres renati pro Nobis ipſis eloquemur, ſenſumque noſtrum producemus Luce clariorem, qui tanquam Sol matutinus tuos aliorumque Errores, veluti Noctis Tenebras diſperdet & diſſipabit. Eo fine hoſce Articulos duxi coram Vobis imprimis ſiſtendos, neſcio an Tu capias & intelligas eorum Aſpectum, ſed viam ſtruunt indubitatam quâ Controverſiis veſtris Finis imponatur.

His Addreſs to Chriſtian Princes.

Supplicationem Chriſtianis Principibus, ut aiunt, ſcripſiſti & in Lucem edidiſti, quâ eorum Potentiam impetrares, ut primitivum *Chriſtianiſmum* ſtabilirent vel ſaltem tolerarent, i. e. ut Hæreſin tuam, quam impium & maximum Anti-Chriſtianiſmum dicam, Lege ſancirent, Teque ipſum quaſi alteram Papam conſtituerent, qui Orbi Chriſtianæ decretoriis tuis *Bullis* imperitares; Vitulumqùe tuum, quem Arius nequiſſimus imprimis conflaverat, colendum & aborandum exhiberes.

hiberes. Nè angas te ipſum; ſed diſcas a me aliiſque Patribus verum Chriſtianiſmum, qui conſiſtit (ſecundum Articulum 1) in *Enarratione & Interpretatione Ænigmatum & Parabolarum Scripturarum*; veroſque Eccleſiæ Filios dixi (ſecundum Articulum 10) Ænigmatiſtas qui *Figuras Legis intelligunt*; omneſque alios, qui *Tropologias* & *Anagogas* Scripturarum neſciunt, altiſonâ Voce *Idiotas* dico, declaro, & pronuncio.

Deſine igitur, *mi Whiſtonie*, Eccleſiam tuis Næniis amplius divexare, & conturbari. Unica, inquam, jam ſupereſt Controverſia in hâc Die Belli Dei Omnipotentis, nempe Spiritûs Legis contra Literam. Elevatæ ſunt Manus Moſis noſtri, i. e. Myſtici Corporis Chriſti, de quibus loquitur Apoſtolus, pro hoc Bello gerendo: Templumque *Jani* noſtri eſt reſeratum in Pacem aſſequendam. Tecum reputes, qualem Partem foveas & amplectaris, an Agagi Literatorum Ducis, vel Viventis Dei, Spirituſque vivificantis ſub Jeſu noſtro renato & ſuſcitato, qui *ex Monumento divinæ Scripturæ, in qua Divinitatis ejus & Humanitatis Myſteria, Denſitate Literæ, veluti quadam* In Diver. Hom. 2.

muniuntur Petra, jam dudum prodiit, atque ſuper *Montibus Idæis* tanquam alter renatus Jupiter, i. e. montibus Viſionis eſt conſpiciendus.

Contra Celſ. lib. 3.

Appello denique Vos omnes, *Literati* Eccleſiæ Anglicanæ *Clerici*, circa Orthodoxiam dictorum Articulorum noſtræ Primitivæ Fidei. Veſtram feratis Sententiam, annon Approbationem mereantur veſtram, ac noſtram? Solenne eſt Vobis Articulis Fidei ſubſcribere, quorum circa Senſum magna inter Vos movetur Controverſia. Dicite mihi, an tutâ Conſcientiâ & abſque Perjurio poſſitis hiſce noſtris aſſenſum adhibere, in quibus Nos ſinguli Patres convenimus & conſpiramus; quos & Ratione, Hiſtoriâ, atque Argumentis indubitatis comprobabimus. Nulla eſt Locutionis Ambiguitas, neque eſt ſenſus, quem præ ſe ferunt hi Articuli, incertus: unicè reſtat probanda Veritas Doctrinæ in iis contentæ, quam Luce magis conſpicuam brevi reddemus. Si nulla ineſſet veſtris Articulis dubia Expreſſio, Senſuſque Eorum Diſceptationi ſi minùs eſſet obnoxius; tamen pro certitudine Eorum Doctrinæ plerumque in alterum tranſendum eſt ultra Lunam Locum; & neſcitis, annon Expectatio veſtra

ſtra eorum fruſtretur, quæ Fide jam amplectimini? Sed noſtri Articuli ſuam ſortiuntur Impletionem & Certitudinem in hoc Mundo; atque Vobis licebit eos rejicere, damnare, & meipſum anathematizare, ſi Veritatem eorum non demonſtravero.

In uſu eſt Vobis gloriari de Excellentiâ veſtræ Eccleſiæ conſtitutæ, ut quæ primitivâ Formâ & Doctrinâ aliis Eccleſiis ſuperabat. Neque ipſe diffiteor Vos magnâ Veneratione primævam Eccleſiam proſequi, Patreſque pro hac & illâ Occaſione laudare, ſi quid in iis, quod veſtro Negotio & Inſtituto inſerviat, inveniatis. Sed, neſcio quî ſit, quòd noſtra & veſtra Eccleſia inter ſe longè diſcrepant, & nihilo ſibi ſuvicem ſimiliores, quàm Fœmina alba eſt Æthiopi, Formoſa deformi, & honeſta adulteræ. Atque, niſi Doctrinam [illegible] amplectamini, [illegible] primitivam veſtræ Eccleſiæ [illegible]. Hæc Doctrina Vos [illegible] Similitudinem [illegible] Matris, a quâ impræſentiarum Doctrinâ aquè differt veſtra Eccleſia, ac Tempore diſtat; ſinguliſque ſæculis a primævâ Veritate longiùs defeciſtis.

In

In præeunte Epistolâ dixi, ut Vos noli intelligitis Patres, quod audax sum repetere. In tantum enim Vos, extruentes Babylonicam vestram Turrim & Ecclesiam, descivistis a Primitivâ Ecclesiâ, ut ipsum Usum & propriam Significationem Vocabulorum Prophetarum, Apostolorum, Patrumque deperdidistis, & in alterum vanum, ineptum & confusum mutavistis. Sed hæc Res clarior efficietur per plures & insequentes Epistolas, quas ipse ac alij Patres, Deo Volente, sumus Scripturi. Interim Vobis, *Viri* vere *Literati*, valedicit vester Pater, & *in Jesu Christo*

Servus,

Origenes Adamantius.

MVSEVM BRITANNICVM